

quorum alter in opere *de Doctrina Temporum* nonnulla castigavit ad mss. codd. Jac. Sirmondi, alter totam auctiorem et elimatiorem descripsit ex aliis mss. exemplaribus in *Commentario in Victorium Aquitanum (Antwerpæ in off. Plant. apud Bathas. Moretum 1634) pagg. 75-77*. Dehinc eam suscepit Quesnellus inter Leoninas post epistolam II, doctas-

que annotationes addidit pagg. 425 sq. ed. Lugd. Tandem Ballerini relectam ad ms. Vat. Reginae Suecorum num. 586, sæculi XI, in quo Paschasini opere inserta erat, cum copiosis et ipsi annotationibus et variantibus lectionibus repræsentarunt inter Leoninas num. III, non omissis Quesnelli notis *tomo III*. Adde *Mansii Concilia T. III, p. 1222*.

PASCHASINI EPISTOLAM

Vide inter *Epistolas Leonis Magni, numero III, infra, tom. LIV*.

EODEM TEMPORE.

P. ANNÆUS SYLVIUS,

EPISCOPUS OCTODURENSIS.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA IN SYLVIVM.

(Ex Schœnemanni *Bibl. hist. lit. tom. II*.)

§ I. *Vita.*

Polemius sive *Sylvius* aut *Salvius* (a), episcopus Octoduri (qui locus hodie audit *Martignac*, et situs est ad Rhodanum in comitatu Vallestino Helveticorum); si idem vere fuit, cui *Eucherius* Lugdunensis *Passionem Martyrum Agaunensium* nuncupavit. Certe nihil amplius præter hoc cum laudatissimo viro, cui vicissim lucubrationes suas inseripsit, vinculum, vitæ ejus memoriam commendat.

§ II. *Scripta.*

Exstat ejus *Laterculus* sive *index dierum festorum*, singulis mensibus tum inter Christianos, tum apud Gentiles celebrari solitorum, ser. *Theodosio Juniori* et *Valentiniano Augustis*, *Flavio Zenone* et *Portulmiano coss. i. e. a. 448*.

(a) *Bollandus P. Annæum Silvium* scripsit.

B

§ III. *Editiones.*

Partem hujus *Laterculi*, mensem scilicet *Januarium* et excerpta ex aliis vulgavit primus *Bollandus* in *præfatione gen. ad Acta SS. T. I Jan. p. 44, 45*. Integrum deinde proposuerunt continuatores ejus *tomo VII Junii pagg. 478-481* cum præfatione de ms. codice, ex quo ille proficiscitur, item ætate, auctore et indole ejus, ad quæ magis illustranda aliud simul ediderunt *Kalendarium e regione Laterculi* hujus impressum *Furii Dionysii Philocali*, quod antea evulgarat *Bucherius* in *Commentario In Victorium Aquitanum*. Attamen multis hic *Laterculus* in locis mancus est et ab excerptis etiam, quæ *Bollandus* olim ediderat, perquam sæpe recedens ut *pridem Benedictini* auctores *Historiæ Litterariæ Galliæ T. II, p. 295, 96*, et nuper *Mansius* ad *Fabricii Bibl. C M. et Inf. Lat. animadverterunt*.

SYLVII KALENDARIVM

Videsis, lector, supra *tomo XIII nostræ Patrologiæ, col. 676, ubi materiæ propinquitatis jam nobis præbuit rationem edendi opus Sylvii*.

EODEM TEMPORE.

TURRIBIUS,

ASTURICENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA IN TURRIBIVM.

(Ex Schœnemanni *Bibl. hist. lit. tom. II*.)

§ I. *Vita.*

Turribius, Asturicensis in *Hispania Tarraconensi* episcopus, acerrimus *Priscillianistarum* hostis et

D vexator, qui postquam ex variis per *Hispaniæ* et forte etiam *exteras provincias peregrinationibus* redux domo hoc late in *tenebris serpente*, primum amicos